



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XI. Amicitia & concordia sine virtute esse non potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Imitami
hoc magi-
stratus, &
principes.

Varro l. 14. c. 7. Romæ quotiescunque senatus coquebatur, nulla de re prius, quam de religione agebatur.

Lege Octavii etiam cautum erat, ut thure prius, & mero supplicaretur. Et sane Plutarchus in vita Marcelli testis est existimasse Romanos plus religionem ad conservandam Rempub. quam arma valere.

§. 5. Ex eo fonte manavit in Christianos odium, quasi pietatis essent inimici. Sacrilegio (inquit superstitiosus) hic annus exaui: necesse fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur.

Claudius veræ religionis hostis victoriam tamen à pietate pendere canit:

Pietate sub-
blata socie-
tas huma-
ni generis
interit.

Omniū dilecte Deo, cui fundit ab antro
Æolus armatas hyemes, cui militat æther
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Nec male Tullius, si personas mutet: Pietate aduersus Deos sublata, fides etiam & societas humani generis, & vna excellentissima virtus, iustitia tollatur, neesse est. Pietas igitur in Republica seruetur. Nam quemadmodum vñones, tamen si in mari nascantur, tamen plus habent cognationis cum collo, cuius faciem reddunt: ita pia ac generosa Respublica, magis à cælo pendet, cuius ducit originem, quam à terra, in qua viuit.

Pessime vero consultum rebus esset humanis, si à virtute & pietate gubernatio reipub. & felicitas non penderet. Vt nec domus, nec Respublica ratione quadam, & disciplina designata videatur, si in ea, nec recte factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis: sic mundi diuina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum ac malorum. Verum relictis illis, qui Deum aut non agnouerunt, aut non coluerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, aliis armis contra atheos pugnemus.

C A P V T X.

Ex natura virtutis docemur, eam esse reipublicæ necessariam,

Sine prudē-
tia geri non
potest re-
publica.

§. 1. Si officia, functionesque virtutum spectemus, si vitiorum infinitas cupiditates, atque exorbitationes, facile concludemus sine virtutum cultura, & vitiorum fuga pœnisque non posse Rempublicam vllam consistere. Constituamus hominem multis fortunæ muneribus ornatum, eloquentia, robore, forma, opibus, insignem, sed stolidum, quasi Nabalem quendam, & aureum veruicem, is certe nō Rempublicam administrare, non domum regere, non vtilis amicis esse poterit, agnatis ille commendatur, ne omnia illa in opprobrium suum atque amicorum suorum conuertat. An igitur sine prudentia ciuitas gubernari, bellum geri, regnum teneri potest?

Prudentia
sine iustitia
non prodest.

Deinde sit quidem Respublica prudens, sed iustitia defertrix, an stare illa poterit? Aliquandiu, velut nonnulli latronum cœtus, durabit. Si absit iustitia, spoliabit fortior inferiorem, hoc ille à maiore patietur, spoliatis arma supererunt. Nunc inter virgas, securæ, laminas, equileos, rogos, cruces, exultat nequitia, malis plena sunt omnia, innocentie pene interit nomen, quia *non est pœna, ut rō vi-
des natiui.* Inuenit annulos infelix nequitia; quid si floreat, vigeatque? Tertio, sine fortitudine etiam & constantia non potest esse ciuitas, imo nec iustitia; si enim pauidus est iudex, contra potentem senten-

Nihil facilius quam
fieri malū.

tiam non pronuntiabit. Ante tubam fugiet, & incruenta præda hosti se committet. Quid de temperantia dicam? sit sapiens, iustus, fortis. Stiebritatis, aut libidinum sit mancipium, felix esse non poterit. Robur Samfonis infregit luxuries, sapientiam Salomonis depresse libido, & eius comes idololatria. Babyloniorum, Tyriorum calamitosos exitus doceat, imo plurimum mundi partium; libidine plurima euerfa regna, adulter vnus Asiam & Europam commisit, incestique iterum thalami, Troianos Latinosque. Hæc igitur vitia si roborentur, atque inualefcent, si in mores transeant, atque in alteram naturam, desinet esse remedio locus, cum autem virus adeo interiora occupauit, ut medelam respuat contagio, non nisi morte atque exitio mala finiuntur, ut in Sardanapalo, Nerone, Gallieno, Heliogabalo cœterisque pestibus generis humani, quas in scelerum detestationem horrendi exitus exemplo Deus esse voluit.

§. 2. Cum virtutes igitur illæ ad Rempublicam omnino necessariae sint, nec tamen sine vera pietate ac timore Dei esse stabiles possunt. (Nam religio omnis virtutis fundamentum est) qui clauum Reipublicæ moderatur, necesse est, ut perpetuo ob oculos positum habeat supremum rerum omnium Dominum cui sit reddenda etiam recte factorum ratio: alioqui cum occasiones se obtulerint, etiam bonorum principum facilis erit in peiora lapsus. Sed neque subditi sine metu æterni supplicii, aut spe præmii in officio contineri poterunt. Nam metus legum, & quæ sunt pœnæ solent infligi parum efficaces sunt ad scelerum terrorem, ac impedimenta, multi enim mortem contemnunt, aut non ita timent, ut ea cogitatione frenare cupiditates in animum inducant: Fallere etiam, & euadere se pœnas, donec in ipsis vinculis sint, posse sperant. Qui igitur pietatem abiicit, non modo cum latendi spes erit, quæcunque conceperit, audebit facinoræ; sed in carceres, in vincula, in eculeum, & rogos scelerati animi facinorosa desideria adferet, nec emendabitur flagellis, sed exasperabitur; nec crimina dampnabit, sed euentus infelices; seque ut cautius, & latentius delinquere possit, in futurum comparabit.

C A P V T XI.

Amicitia & concordia sine virtute esse non potest.

§. 1. Amicitia ciuium, uti membrorum contemplatio, in corpore, ad salutem Reipublicæ necessaria est, nulla est enim congregatio, nullus cœtus sine amicitia. Amicitia, inquam, gratuita, non venalis, non sui commodi callida spectatrix. At vera amicitia non est sine virtute, necesse potest, nec ergo Respublica.

Amicitiam primo esse oportet vsu creditam; & expensam documentis, à suspicionibus alienam; eius tenacissimum est vinculum similitudo morum: Fouetur alloquio, obsequiisque. At vero si omnia sui quisque causa agit, si finis cuique est proprium commodum res omnium post virtutes pulcherrima concidit, nempe amicitia. Recte Cicero docet, Epicuræos, qui omnia suæ voluptatis causa facere se dicerent, amicitiam vniuersæ abstulisse. Itaque præclare Plato docuit: Amicitia & fides carere viris, maius esse vitii signum, quam aliud vllum esse possit, & abundare amicis virtutis indicium. Ep. 7. Maxime vero amicis indiget diuites, & qui in principatu sunt ac potestate, ut monet Ethic. 8. cap. 4. Aristot. Tanta vero est amici-

Troiam mulier peregrina vertit.

Etiam boni principes facile in deteriora labuntur.

Amicitia sanitas Reipublicæ, ut corporum est temperatura.

Boni morum vinculum amicitia.

Carere amicis animi mali indicium.

amicitia necessitas, ut ea sapiens etiam egere videatur, certe amicos quisque cupit habere plurimos. Amicitia autem vera est, ad quam nulla hominem fert utilitas, neque naturalis propensio, sed honesta ratio bene de alio merendi. Innata est nobis amicitia: dulcedo, & natura stimulus quidam ad amandum inditus, & de amicitia gaudium. Quorum nihil in republica atheorum esse potest. Si tyrannus rapit, & scilicet, si sapientia vera dilectionis examinatrici absit, si iustitia negligatur, si voluptate sua quique omnia metiatur, nullus amabit alterum. Notumque venenum domos, & potentum familias permeabit, & naturales parentum, & liberorum affectus contra se mutuo concitabit. Epicuri, & politicianum atheorum sententia est: Virtutis primum non esse, sui causa quemque omnia facere. Epicuri verba apud Laetium sunt. *Ἐπει δὲ ἡ γυναικὶ τὸν φίλον ἀφ' ἑαυτῆς τοῦ ἡδέως.* Adeo ut libro de amore in liberos Plutarchus clamore theatri hoc Epicuri flagitiosum dogma refutatum testetur.

Μὴ δὲ γὰρ ἀνδρῶν τις ἀνδρῶν φιλεῖ.
Mercede enim hominis, quis hominem amat?

Hoc ait theatris admirationi esse, at iuxta Epicurum sic patrem, matremque amare filium, sic ipsos liberos amare parentes.

Amicitia gratuita.
Multo cordatius Seneca, Ep. 9. Sapiens etiam si contentus est se, tamen habere amicum vult, si ob nihil aliud, ut exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat: non ob hoc quod Epicurus dicebat in hac ipsa epistola. *ἢ ἔστιν ἡ ἀρετὴ ἡ ἀφ' ἑαυτῆς.* ut habeam qui sibi agro asideat, succurrat in vincula coniecto & inopi: sed ut habeat aliquem, cui ipse agro asideat, quem ipsum circumventum hostili custodia liberet. Qui se spectat & propter hoc ad amicitiam venit, male cogitat: quemadmodum caput sic definit.

Amicitia finis.
Paravit amicum adversus vincula laturum opem: cum primum creperit catena, discedet. Haec sunt amicitie, quas temporarias populus appellat. Qui causa utilitatis assumptus est, tamdiu placebit, quamdiu utilis fuerit. Haec florentes amicorum turba circumfedit: circa eversos ingens solitudo est: & inde amici fugiunt, ubi probantur. Haec res ita tibi nefaria exempla sunt, aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentium. Necessae est initia inter se & exitus congruant. Qui amicus esse cepit, quia expedit, placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, si vllum in illa placet pretium praeter ipsam. In quid amicum parat? ut habeam pro quo mori possim, ut habeam quem in exilium sequar, cuius me morti opponam & impendam. Ista quam tu describis, negotiatio est, non amicitia: quae ad commodum accedit, quae quid consecutura sit, spectat.

Amicitia igitur necessaria est, sed illa, ut tanquam certum statuit Philosophi, nisi in bonis esse non potest. Stoici, *φιλίαν ἐν νόμοις τοῖς σπουδαίοις* id est, *ἐν τοῖς ἀγαθοῖς.* In solis bonis esse, idque ob similitudinem. Cum autem in improbis non sit amor amici, nec sit in eo quod alter probet, necesse est per vitia improborum Republicam penitus interire; quia omnes suam priuatam, nemo publicam causam agit.

CAPUT XII.

Exempla docent impiis infelicitate, bonis prospere res cessasse.

Exempla ad S. I. **E**XEMPLA colligere vix opera pretium est, multos, me-
tus ad om-
zibus libris octo de ruinis gentium. Ad hoc omnes appello, & moneo si cui verba non faciunt satis, ad

totius mundi exempla contremiscat. Magis paucis mouemur exemplis, quam verbis plurimis, at nunc plura sunt exempla, quam vllum volumen verba contineat. In exemplis illis quisque imaginem sui periculi contemplatus, vitia abstinat.

§. 2. Omittam ego illa nota, Cataclysmum, & mundi primogenii vitia in vndas confedisse, Pentalogos ignes, Chanaanos deletos, gentes quinquaginta populi electi vexatrices excisas. Omnium pene veterum urbium cadauera, aut tenues reliquias, omnium regnorum cum vniuersi orbis concussionem mutationes. Vnam Rempublicam videamus, non totam tamen eius periodum, sed breuem, nec tamen calamitosissimum tempus. Iulius Caesar hominum flagitiosissimus vnde decies centena millia in Gallis variis praeliis cecidit, bella quibus deingerit, & ipse per paucos annos hosti suo seruatur, dum in conspectu senatus multis vulneribus immolatur. Augustum & Tiberium ex domesticorum insidiis venena, Caium gladius victor, Claudium boletus, Neronem sua manus vltia est, nec minus qui secuti sunt vltia irae, exempla coelestis vindictae fuisse; Vitellius, Otho, Galba, idcirco ad imperium euecti videntur, ne cruentos eorum, & horrendos exitus historia faceret. Vespasiano vis morbi & desperatio vitae finem attulit, Titus fraterno veneno moribundus pene vitius sepultus fuit, Domitianum domesticorum, inter quos & vxor, conspiratio oppressit. Neruum morbus & meror, Traianum in eis datum venenum, Hadrianum ex cruciatuum impatientia, ipse suscepta inedia exstinxit, & de sanguine Christiano vindicauit. Lucium Verum apoplexia, M. Aurelium fame voluntaria sustulit. Omnium sceleratissimus Commodus additis ludibriis trucidatus est, eius successor Pertinax cum dies 82. imperasset, a praetorianis suis imperio, & vita exutus est. Seuerus ab Antonino Caracalla filio saepe petitis insidiis, & aperto parricidio tentatus, marore defunctus est. Ipse Caracalla postquam Getam fratrem in sinu matris occidisset, a suo centurione confoditur. Erat enim parricida, incestus, patris, matris, fratris, & Dei impiis inimicus. Militum deinde suorum manibus ceciderunt Marcius, & Diadumenus imperatores, Heliogabali occisi corpus raptatum, atque in Tiberim proiectum est, ne Alexandro quidem nonnulla pietas profuit, ne a Maximino necaretur. Hic vero cum filio obruncatus est, capita in solatium urbis afflicta missa Romam, Balbinum, & Pupienum ad imperium a senatu euectos, milites ludibrio affectos, & dirissime cruciatos occiderunt. Gordianum Philippus collega, immemor beneficii, crudelissime atque indignissime interemit. Philippus cum filio, licet mutatis moribus iam Christianus, in vltionem tamen delictorum a Decio percussus est, Pater Veronae, filius Romae. Horum successor, & Parricida Decius trucidato per Trebonianum ducem filio, dum militis sui gladium fugit, vna cum equo palude absorptus est. Gallus, & Volusianus dum aduersum Aemilianum tendunt a militibus interempti, & ab iisdem postmentes quatuor Aemilianus, Valerianus in Perside seruitutem seruit, filius illius Gallienus in Perside, & filius a suis ducibus confectus est. Claudius lue fractus occubuit, eius frater Quintillus a militibus factus imperator die 17. ab iisdem occisus est; eadem poena fuit Aureliani, nec diuersa fortuna Probi, cui milites Parricida Epitaphium posuerunt: *Hic Probus impius est, vere probus.* Carinus Deus de coelo fulminauit, Carinus in vltionem adulterii praelio victus, deinde a familiari confossus est, Numerianus ab Apro socero, Aper a Diocletiano interfectus est. Diocletianus marore, Maximi-

nesper-
net.

Romana
Respublica
plena cala-
mitatum.

Iulius.

Augustus.

Tiberius.

Caius.

Claudius.

Nero.

Vitellius.

Otho.

Galba.

Vespasianus.

Titus.

Domitianus.

Nerua.

Traianus.

Adrianus.

L. Verus.

M. Aurelius.

Commodus.

Pertinax.

Seuerus.

Caracalla.

Macrinus.

Diadumenus.

Heliogabalus.

Alexander.

Maximinus.

Filius eius.

Balbinus.

Pupienus.

Gordianus.

Philippus.

Eius filius.

Decius.

Gallus.

Volusianus.

Aemilianus.

Valerianus.

Gallienus.

Claudius.

Quintillus.

Aurelianus.

Probus.

Carinus.

Numerianus.

Aper.

Diocletianus.